VII.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS &c. &c.

Universo Venerabili Clero, sæculari et regulari salutem et benedictionem!

Excelsum c. r. Præsidium Locumtenent. Leopol. ad Nos direxerat altum Rescriptum de 17. Aprilis a. c. N. 593. quo informamur de tenore libelli anno currente Varsoviæ in lucem editi ac in varias regiones emissi, cui titulus: „Suprema lex salus populi.. unus ex vestris..“ simulque excitamur ad praecavendum et commonendum Clerum Diœcesanum desuper.

In prælaudato Rescripto puncta illius libelli præcipua exponuntur. Sophisma eorum sequens: „Suprema lex est salus populi“... hæc salus in regnis Galiciæ et Poloniæ obtineri nequit sine Gubernio *unitæ ac indivisæ Poloniae nationali*... oportet ergo provincias regni quondam Poloniæ jungere in unum Regnum adeoque Galiciam ab Austria avellere, et praevie ad insurrectionem concitare. Hunc in finem opus est ut ajunt confœderatione Cleri Galiciæ (Zjednoczenie duchowieństwa), qui gaudens popularium fiducia ex *ambone*, in *confessionali*, et *schola*, *omnique data occasione* politicas inter populum spargat ideas, *funebralesque de-*

votiones pro animabus insurgentium, in specie aut in genere, qui in bello hocce occubuerunt, fine propagandi *patriotismum* celebret; insuper dimissos milites hujates ad perjurium, desertionem concitet; conferentiis judicum pagensium cum c. r. Officiis districtualibus invigilet, ac nociva rei quæstionis effectu privet &c. &c. simulque agat, ut populus insurgentes quovis modo foveat, tyronibus augeat, tributa a subterraneo Regimine demandata solvat.

Venerabiles Fratres! his obtentis sollicitudo pastoralis, qua in regenda diœcesi exagitamur, urget Nos, ut contra ejusmodi perversam solicitationem sensa Nostra pandamus.

Si vox illius, qui se „unum ex nostris" jactitat, ceu dulcissimus sirenum cantus aures quorumdam incautorum, ante aliquot hebdomades, demulcere valuisset, nunc clangore periculi, statu obsidionis proclamato, perculsi, oculos et aures averterent ab eo solerter.

Vos sobria mente imbuti, Deum ac Ecclesiam sanctam diligentes, aures contra ejusmodi cantum obturantes, ejusmodi improba consilia procul a se repulsuri estis; non ergo ideo ad Vos Nostram attollimus vocem, acsi de pastorali Vestra prudentia dubia animo volveremus, sed potius ideo, ut attentos Vos reddamus ad astutiam imprudentem hominum illorum, qui religiositatem populi nostri fidelis perspectam habentes, recte ex hac parte illum petitum esse cupiunt, quo facilius illum in partes suas pertrahere possint.

„Suprema lex civitatis esto salus populi (terrena), quæ salus reflorere haud valet sine cooperatione vivificæ ecclesiæ dependetque inter alia ab eo, ut omnes, quibus sceptra et gubernacula, munera... concredita sunt, spiritu Dei agantur, ac membra sub ipsis constituta excellant executione legum regni conscientiosa, quæ executio in regno Galiciæ non impeditur, quamvis non audiat *nationale* in sensu restauratorum novissimi diei.

„Suprema vero lex" Ecclesiæ cath. est longe uberior, et excellentior, nam prae omnibus salus populi spiritualis, cœlestis et æterna... sub quocumque demum existant Regimine, attamen semper cum studio, juvandi Civitatem in promovendo subditorum bono terrestri.. ad quos dirigitur monitum Christi: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus*; *reliqua adjicientur vobis*.. Math. VI. 33. Quae vero Clerus hujus Ecclesiae circa populorum institutionem et regnum legaliter constitutum aut de facto existens agenda habeat, non lex humana, sed divina; non Reformatorum politicorum, sed Restauratoris generis humani, Ipsissimi Filii Dei,

Domini Nostri Jesu Christi, definit, quæ Math.. XXVIII., 19. 20, partem muneris nostri potiorem ita delineat: „Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes.... et docete eos servare omnia, quaecumque *mandavi* vobis. Magister autem noster *nullibi* mandaverat, ut manus daremus seditionibus, imo coram Pilato edixerat. „*Regnum meum non est de hoc mundo*" et praevie ad quaestiones captiosas, politicas Pharisaeorum protulit nil amplius, quam: „*Redite*, *quae sunt Caesaris*, *Caesari*" Math. XXII, 21. Licet tunc, quando discipuli Eum tribulant quaestione: „*Domine! si in tempore hoc restitues regnum Israel.*" Act. Ap. I. 6. occasio adesset oportunissima disserendi de restauratione regni Israel, olim celeberrimi, responsum opposuit contrarium, nam de regno Ecclesiae Suae.. et quum Christus Dominus in Apostolis et discipulis fundasset Ecclesiam, terrestrem non sustulit Majestatem, imo eam obedientia Sua confirmavit, manetque verum in libris novi testamenti, quod veritas aeterna, vigente fœdere veteri, edixit: „*per me reges regnant et legum conditores justa decernunt*, *per me Principes imperant et potentes decernunt justitiam.*" (Prov. VIII. 15. 16.) Ejus vero Delegati quid nisi obedientiam reverentiamque Potestati Supremae civili de facto existenti asseverant? Nota Vobis illa S. Pauli effata grandia; „*Non est potestas nisi a Deo — qui resistit potestati*, *praecellenti*, *Dei ordinationi resistit.*" Rom. XIII. 1, 2, et 17. S. Petrus in I. E. II. 13. serio demandat: „*Subditi estote... sive regi*, *quasi regem honorificate*" Salvator noster vaticinando Judæis rebellibus eversionem regni ac residentiae imo dispersionem totius nationis inter gentes... longe abfuit, dare discipulis suis consilium communem cum seditiosis rem faciendi; saluti eorum attamen prospecturus instabat, ut quando conspexerint" abominationem desolationis... in loco sancto"... illico fugam ad montes caperent, ne una cum obcoecatis, auxilium a Messia aliquo anhelantibus... copiis Romanorum innumeris frustra resistentes... perirent crudeliter.

Hæc et similia præ oculis habentes, allocutoribus aliter imbutis reponetis cum Apostolo gentium: „*Nos autem prædicamus Christum crucifixum*"... 1. Cor. 1, 23, oggeretis consilium S. Greg. M. (in Evang. hom: 17, n. 5.) „Qui officium prædicationis suscipit, dignum non est, ut onus sæcularium negotiorum portet; ne dum hoc ejus colla deprimit, ad prædicanda cœlestia non assurgat." Cavebitis, ne verbo Dei, veritati æternæ immutabili, e sacro suggestu

principia politica, arundini similia vento agitatæ, hodie applausu excepta, cras damnata contemptaque, substituatis, populumque christianum, qui eloquia Dei audire et quæ sit voluntas Dei edoceri cupit et sperat, eludatis, et fiduciam Vobis maxime necessariam, tali agendi natione periculo exponatis, sed laborabitis porro uti boni milites Christi, „*et nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*“ 2 Tim. 2, 34. „Non est mediocre periculum“ ait S. Ambrosius (Sermo 2. in Pidlm. 118 „*cum habeatis tanta eloquia Dei, illis praetermissis loqui, quæ seculi sunt.*“

Etsi quandoque primæ Ecclesiæ Dignitates nec non plures Presbyteri a suis electi in regni comitiis considentes sæcularibus implicentur, hæc circumstantia nonnisi qua exceptio consideranda venit, quæ quia in comitiis regni de negotiis ecclesiæ ac religionis disputetur, quinimo decidatur, a necessitate imponitur magis, quam a muneris obligatione, ut ibidem invigilent agantque, ne respublica catholica quid detrimenti capiat. Alia plane est rei facies, si Clerus vocetur a suis ad eversionem regni consistentis; ad tollendam potestatem legaliter institutam, ad concitandum populum innovationi hujusmodi eventus incerti... adversarium.. &c. &c.!

Homines hujus generis volunt, ut in eorum servitio sacerdotalem vestram conculcetis dignitatem; ut profanetis suggestus sacros et altaria; volunt, ut neglecta Evangelii doctrina fidelem populum eorum imbuatis principiis; ut fiatis eorum famuli, exploratores et delatores.

„Nil novi sub sole.“ Hæc et similia principia perversa, nec nova nec ignota, ab inimicis pacis et ordinis semper et ubique practicata, præcipue in nostro moderno aevo, tumultuante, timoris et fugæ pleno. Ecce qualis astutia?! Clerum in perturbationem et rerum confusionem permovere — ut ipsum assecuti finem eo facilius, experientia teste, arctioribus cancellis circumdare possint.

Quis autem fateri hæsitabit, hanc doctrinam evacuatæ *crucis Christi* notam mereri, illiusque præcones esse ex illis, de quibus dicit Dominus „*Exierunt enim falsi prophetæ in mundum, quos non mittebam et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant: ut variis doctrinis et peregrinis Christianorum animos depravarent;*“ (1 Cor. 1, 18 & Hier: 23. Math. 16)“ qui *quaecunque ignorant, blasphemant, quaecunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur, convivantes sine timore, se-*

metipsos pascentes, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum (Epist. Judæ.) Quo deveniretis, Fratres dilectissimi! si consilia hæc sequi et exequi volueritis?

Absque dubio quivis isthæc amplectens consilia protinus fit Ecclesiæ proditor; quivis enim sacerdos minister est Ecclesiæ Christi, et nonnisi ejus nomine agere eum oportet. Sacerdotis vita servitio Ecclesiæ est dedicata, hinc sacerdos non aliunde, nisi ab Ecclesia mandata acceptare debet; sacerdos igitur superius memorata restaurationis amplectens principia non tantum Ecclesiæ, sed etiam populi fidelis est proditor; non enim ipsi monstrabit viam corcordiæ, pacis ac charitatis, quæ unice ducit ad salutem. Populus animadvertens, Christi Evangelio misceri sibi ingrata, mente sua a Clero primum avertetur; quando autem plene persvasus fuerit, eum e via vocationis jam uti diximus declinare, deseret eum, devotionem abusibus patentem spernet, tandem omnem subtrahet fiduciam, imo eum contemnet. Adpareret ergo in conspectu Ecclesiæ ceu ejus proditor, coram populo vero fideli exutus auctoritate et honore. Quantum vero inde Ecclesiae, Deo et populo fideli damnum emergeret, difficile non est intellectu.

Sed, Fratres dilectissimi! neminem fugit, sacerdotes eos, qui vilipensa sua sublimi vocatione, ita sæcularibus implicantur negotiis, ut pacis publicæ perturbationi cooperari non vereantur, indignos esse nomine et dignitate sua; missi etenim sumus, non ut rebus, de quibus loquimur, componendis incumbamus, sed „ut fructum laboris nostri circa Dei gloriam et animarum salutem copiosum afferamus“..... (Joann. XV. 16.) „Sacerdotes decus sunt Ecclesiæ ejusque gloriosissimus splendor; ipsi sunt portæ civitatis æternæ, per quas omnes, qui in Christum credunt, ad Christum ingrediuntur; ipsi sunt janitores, quibus claves regni cœlorum sunt concrediti, et villici palatii regii“... — (Prosper. Aquit. de vita æterna L. II. c. 2.) Potestne ejusmodi effatum applicari sacerdoti, qui neglectis suis gravissimi momenti negotiis, semet hominum societati *occultae* adjungeret, quæ in subruenda publica pace insudat, atque finem hunc per fas et nefas obtinere conatur?

„Patria“ — „Libertas“ resplendet in eorum vexillis. „Amor patriæ et libertatis“ juxta Ecclesiæ nostræ genium consistere communiter censetur in eo, ut omnem intra legum publicarum tramitem moveamus lapidem, quatenus ipsa refloreat fidei et morum progressu, scien-

tiarum, artium, œconomiæ cultura, sub quocumque — demum gubernio civili, legali, — dum *patrium*, haberi nequit.... utque preces fundentes ad Patrem misericordiarum *fleamus* cum Christo super obcœcatione popularium nonnullorum, qui sine necessariis mediis ut illli gigantes rebelles cœlum expugnaturi portenta moliri, et quamvis tam inermes principia sua circa Patriam latissima... contra vim Herculeam.. in effectum deducere haud desistunt... nullo ad hoc spreto medio... Juvat hic adducere effatum cujusdam Confœderati Baren: „*Aestimabam libertatem super omnia in mundo.. attamen religionem catholicam œstimo super ipsam libertatem..*"

Etiamsi Fratres in Christo Dilectissimi! Ecclesia catholica ut minus sapienter dicamus, facultatem suis tribueret ministris, tumultus contra Regimen legale fulciendi, dirigendive, in cassum his quoque in oris insudarent. Universis enim est notum, quantis afflictationibus opprimatur provincia trans-Vistulana; jam enim ultra annum perseverat seditio excitata imprudentia hominum eorum, qui spem in exterorum auxilio collocantes, pertinacia et obcœcatione regno huic parabant ruinam. Oppida ac pagi demoliti, frugiferi olim agri devastati, horrendum praebent oculis aspectum. Cor contremiscit, dum ratio recogitat, secuturas esse adhuc majores calamitates, nisi pax brevi restituatur. Nonnulli e Clero exemplum Machabaeorum imitaturi, impetu patriotismi abstracti, non valebant computare omnia illa immensa moralia et materialia detrimenta, quæ deplorandum illud certamen progignere cernitur, et commotioni huic manum suam inseruerunt! Et quis enarrare audet et illa, quæ occasione insurrectionis a Gubernio dissidente, cui porta proselitismi amplior est aperta, pro unica, vera et salvifica Ecclesia romano-catholica, infortunia et vulnera enata sunt.!? Deploranda hæc sunt omnino, nec lamentis esset cedendum, nisi Ecclesia catholica hoc proprium haberet, ut ait S. Hilarius „*dum persecutionem patitur, floret — dum opprimitur, crescit, — dum contemnitur, proficit — dum laeditur, vincit — dum arruitur, intelligit, — tunc stat cum superari videtur" et ni Dominus* Noster Jesus Xstus prædixisset tempora et hæc et illa, in quibus unum ovile et unus erit pastor. Quomodo et quando hæc contigerint, Pater cœlestis posuit in sua potestate! Quis autem prudens svadere possit, malis mala adhuc cumulare; infortunia vulneraque augere?!

Superioribus observationibus adjungimus adhuc hanc non exigui ponderis animad-

versionem, omnes Vos, Fratres dilectissimi! ad fugiendas **occultas societates**, cujuscunque nominis et characteris, juramento esse obstrictos. Dedecet quippe Sacerdotem catholicum, qui est „lux mundi,“ ut in occultis quædam moliretur; vita ergo Sacerdotum est, et esse debet omni ex parte publica, ut „homines videant opera eorum bona, et glorificent Patrem, qui in cœlis est“ (Math. V. 16.)

Qua Episcopus dioeceseos hujus, responsurus suo tempore coram Deo, jus habeo exigendi a Vobis et illud stricte exacturus sum, ut e suggestu sacro nil, nisi doctrinam Jesu Christi Salvatoris Dei nostri peædicetis, vitantes sedulo omnia, quæcumque ad rem non pertinent.

Praecipimus, ut si contigerit celebrare devotionem funebralem, ita illa absolvatur, prout rem sanctissimam decet; cavete, ne ejusmodi devotio sit „demonstratio politica“ vel plane medium ad finem impium.

Praecipimus, ne latum quidem unquem ab Officiis Vestris recedatis; qua Ecclesiae catholicae Sacerdotes probe novistis leges et finem ejus; nil ergo aliud a vobis exigimus, nisi ut has leges conscientiose adimpleatis.

Magna erigimur spe, fore ut monitis Nostris perfecte obtemperetis, et remoti ab omnibus politicis implicationibus, vocationi Vestrae digne vacetis. Tali modo conversantes eritis sancta illa organa, per quae copiosissima divinæ benedictionis mensura in Ecclesiam Christi universam, et in specie in animas curæ vestræ creditas effundetur.

Denique pro coronide hæc insuper addenda censemus. Vos Dilecti in Christo! ex historia tum sacra tum profana edocti estis: regna stare aut cadere variis sub rerum adjunctis etsi gaudeant legibus et Institutis patriis.. Noscitis laudem Davidis Deo coram populo persolutam: „Tua est Domine magnificentia, et potentia et gloria atque victoria... Tuum Domine regnum... in manu Tuo virtus et fortitudo... Tu regnas super omnes“.. 1 Par. XXIX. 11. 13. Psallitis sæpenumero: „Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.“ Psal. CXXVI. 1. et S. Palus nobis inculcat: „Orate pro regibus“ 1. Tim. II. 2. His et aliis suffulta Ecclesia Catholica orationes fundit ad Regem regum pro incolumitate Principum et regnorum.. Ecclesia nobis injungit obligationem filialem, *Memento* pro Augustissimo nostro

Imperante penes Missas quotidianas faciendi et *Collectas* diebus Dominicis per annum festis I. et II. Classis non impeditis, sumendi...` in precibus ad ferias, in suffragiis et Litaniis *orationem* persolvendi pro Eodem assignatam. His conformiter levatis manus ad cœlum pro consequenda benedictione et salute Ejus, totiusque regni, scientes, quanta in cives et Clerum ex ejusmodi desuper donis redundent.

Recitatis cum Papa Urbano VIII. frequenter orationem ad calcem Breviarii adjectam, in cujus ultima allocutio divina: „Quando sacerdotium et regnum video lacrymari, statim quasi compatiens ad commiserationem flector“.... Vos ad jugia suspiria sub calamitate regni stimulat.

Ne intermittamus quoque Patronum Regni Michaëlem Archangelum, qui tessera: *Quis ut Deus?* rebellionem in arce cœlesti sedaverat, quotidie invocare, quatenus ad thronum gratiæ pro regni pace et tranquilitate, pro cunctorum illuminatione et virtutis studio, demum consolatione et benedictione intercedere haud desitat, ad quem Ecclesia Catholica hos versus nobis in os mittit: „Angelus pacis Michael in ædes... Cœlitus nostras veniat, serenæ... Auctor ut pacis lacrymosa in orcum... Bella releget.“

E Præsidio Episcopali,

Tarnoviæ die 27. Aprilis 1864.



Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae & Jasło. Typis Anastasii Rusinowski, 1864.